



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Iuridico-Politicus De Iure Superioritatis Ac  
Summa Potestate Rom. Pontificis**

**Wesseling, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1662**

XV. Leopoldvs I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64514](#)

filia Carolum Josephum natum an. 1649.  
Et ex Maria Eleonora moderna Impera-  
trice vidua Ferdinandum Josephum Aloy-  
sium. Filia ejus Maria Anna ex prima con-  
juge est moderna Hispaniarum Regina  
Regis Philippi IV. conjunx, nata an. 1635.  
25. Maii. Quam Deus cum suo Catholi-  
cissimo Rege, & Monarcha perdiu servet  
incolumem,

## XIV.

## FERDINANVS IV.

Filius quoque Ferdinandi III. è prima  
conjugie natu major, genitus est an. 1633.  
electus, & coronatus Romanorum Rex  
Augustæ Vindelicorum, & Ratisbonæ an-  
no 1653. suscepit priùs regnorum Hunga-  
riæ, & Bohemiæ coronis, a. 1654 pustulis,  
seu varis sublatuſ è vita magno omnium  
luctu, & tristitia propter innatam mansue-  
tudinem, & bonitatem.

## XV.

## LEOPOLDVS I.

Ferdinandi IV. Germanus frater natus  
An. 1640. quinto nonas Junii: Rex Hun-  
gariæ anno 1655. 27. Junii, & Bohemiæ 1656.

N 5

14. Se-

P. I  
14. Septembr. Romanor. verò Imp. creatus 1658. 8. Julii. coronatus 15. ejusd. Francofurti. Quem Deus ter Opt. Max. in longitudine dierum cum sua sancta benedictione, & prosperitate exaltare dignetur, quatenus unanimi Electorum, & Principum Imp. robore Ottomannicam tyrannidem labefactare, atque adeò vires S. R. Imperii adaugere valeat, ut non solum deperditam Christi Salvatoris nostri patriam, id est, Palæstinam, seu Terram Sanctam, sed & proprias suas, & Imperii Provincias per discordiam Christianorum, & hæresim amissas recuperare mereatur.

Habes hīc, Candide Lector, quod voluntus, Laconicam Augustissimum è Serenissima Domo Austriaca prodeuntium Christianorum Cæsarum Genealogiam, initium, & progressum; unde hi ordinarii Cæsarum, & Imp. nostrorum Tituli colligunt, quos & magnus Turca hunc in modum quandoque reperitur usurpare; prout apud Christianos recipi solet.

Sacratissimo, & Invictissimo Christianorum longè potentissimo Imperatori, & precundis Regibus, & Principibus Europa Serenissimo Principi, ac Domino, D. N. Leopoldo divino

divina favente clementia Romanorum Cæsa-  
ri semper Augusto, Germaniæ, Hungariæ, Bo-  
hemia, Dalmatiæ, Croatiae, Schlavonia, &c.  
Regi, Archiduci Austriae, Duci Burgundia,  
Brabantia, Styria, Carinthia, Carniolia, Lu-  
cemburgia, VVürtembergæ, Superioris, & In-  
ferioris Silesia, &c. Principi Suevia, Mar-  
chioni S. R. Imp. Burgovia, Moravia, ac Su-  
perioris, & Inferioris Lusatia, &c. Comiti  
Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi, Goritiæ, &c.  
Landgravio Alsacie, Domino Marchia,  
Schlavonia portus Naonis, & Salinarum,  
&c. Quos omnes, vide in Aurifod. nostr.  
Ubi annotatum reperies, omnium Mo-  
narcharum, Regum ac Principum totius  
Mundi Legatos apud magnum Turcam  
nec sedere, nec loqui, nisi Augustissimi  
Romanorum Cæsaris Legatus primas con-  
secutus orationem, & commissionem suam  
sedendo honorifice absolverit: Reliqui  
Legati suas commissiones stando propo-  
nere jubentur: nullum siquidem Imp. in  
mundo admittit, nisi se, & Cæsareim. Unde  
in actis Treugæ, & pacis inter Christianos,  
& Mahometanos ponuntur hæc verba:  
*Nos duo potentissimi Imperatores, &c.*  
Vide Aurifod. verb. Turcicum Imp.

N 6

Ad